

§. II. Caeterum quatuor momenta adducit, quibus unio & pax, quam animo concepit & destinavit, haecenus per bina Secula fuerit impedita. Credit enim tandem, Viros sapientes non tam ex *ignorantia & simplicitate*, quam *aliis* potius ex *causis* pacis consilia audire & inire noluisse. Nam etsi statuere quis vellet, loqui *Allocutorem* de solis Reformatis, qui hac in parte pro se respondeant; ubi tamen de pacis impedimentis agit, & subjecta non limitat, idem quod solent plures facere, qui talem pacem moliuntur, ut nempe utriusque partis jura circumcidant, & utrinque gesta improbent, vix nobis imperare possumus, quin id etiam de Allocutore nobis persuadeamus. Enimvero unde probabitur, illam quadrigam pessimam haesisse in mentibus Doctorum nostrorum Ecclesiae, qui circa controversias cum Reformatis fuerunt occupati? Quem credit, fuisse *affectum perversum*, quo ductus BRENTIVS, nullo admixto Syncretismo, cum illis militavit? quod *punctum honoris*, quod JACOBVM ANDREAE impulit, ut tot fastidia Colloquiorum cum partibus adversis sine eventu pacis sustineret? quod fuerit *studium sectae*, perversum nempe perversae, quo agitatus WAGNERVS Syncretismum amolitus est a Würtembergensi & universa Ecclesia? quibusnam credit, *praejudiciis* (falsis nempe) *occupatos* fuisse quondam alios Würtembergicos Doctores, qui unanimiter consilia Syncretistica averfati fuerunt, & in veritate coelesti defendenda uoluerunt defatigari? Non erravero, si vicissim in omnium Syncretistarum pectore hanc quadrigam stabulari asseruero, *affectum perversum*, *punctum honoris*, *studium sectae Syncretisticae vel alterius*, ad quam propendent, & *praejudicia* ex scriptis impiis variorum Libertinorum, Latitudinariorum, Neutralistarum, Naturalistarum & Indifferentistarum comparata, animo insinuata, & tantum non radicata. Facile admodum esset, ire per exempla.

§. III. Cum igitur haec quatuor impedimenta a parte Ecclesiae nostrae non extiterint, & nihilominus sapientissimi